B. [illegible] S. J.

Cracoviensis Coll. S. J. Munus basilicum Vladislai IV. Regis [illegible]

(1643)

MVNVS BASILICVM VLADISLAI IV REGIS INVICTISSIMI.

E Regalis Ærarij adytis

CAPVT

B. STANISLAI KOSTKA

è Soc. Iesv, Basilicæ Cracoũ.

SS. Petri & Pavli, liberaliter ATTRIBVENTIS.

Quod multò ante,

SIGISMVNDO III

Româ per Achatiũ Grochowski tunc Præpositũ Płocẽ. Canonicũ Crac. postea Episc. Luceor. à MVTIO VITELLESCO Præp. Gñli. Societatis, dono transmissum, in decursu belli Chocimensis. A. 1621.

Propositum

Sub felicibus Auspicÿs

Illvsrissimi ac Reverend: D.

D. PETRI GEMBICKI

Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episc. Crac. Ducis SEVERIÆ. &c. &c.

DVM

In eâdem Basilica Tutelarem Beati ad aram Sacris operaretur.

AD ILLVSTRIS^SMVM & REVERENDIS^SMVM D.

D. PETRVM GĘBICKI,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episc. Crac. Ducē Seueriæ &c. &c.

De Peraugusto Donario Serenissimi VLADISLAI IV. Collegium Crac. S. I. Diuorũq;. Sacrarium nouâ Sacri Capitis accessione MVNERANTIS.

Q*Vi Te à publica gentium luce digressum, suo foris prosecutus est auspicio, idem Tuum vicissim domi reposcit* STANISLAVS, *Illustrissime ac Reuerendissime Antistes. Quod Tu illi negare haud potes; memor fidei, quam in Vrbe hospes hospiti, Senator Patritio obligasti ad Aram. testatus palam, quid de eius virtutibus & prodigijs iudicares. Fœlix Roma, quæ tam nobilis Profugi exilia, & Cineres collegit perbeatos! Neq; idcirco minùs fortunata Cracouia, quæ sub Te Infulato Capite, cum* STANISLAI CAPITE *Fortunam accepit* VLADISLAI; *sapienter omnino existimantis Basilicam vtiq; suam nisi Basilico Munere non implendam. Cui si & Tu Pontificiam Dux & Præsul faustitatem coniunxeris, & Principi Petro gratulabimur & Nobis: non ignaris* FASCIAM *hanc Tuam nulli aptiùs quàm Capiti conuenire. Et meritò* STANISLAVS *Caput illud, sedem ac domicilium Gratiarum inclinat venerationi, quod olim Osmano obiecerat ad terrorem opportunè Româ aduolans, ne triumphanti Patriæ non adesset; gratulatus eidem victoriã, cuius cursu & ipse promouisset supplicando. Quorsum enim rapidæ nubis curriculo Chocimum celerabat, quàm vt Poloniæ apportaret pacis oleam, & ancipitem belli Laurum* VLADISLAO *inclinaret. Cui Tu dum proximã Cælo Mitram acclinas, Illustrissime D; eundem solennioribus admouendũ Aris, vt sacro apotheoseos deducas in Triumpho, vniuersa cum Europa, tam solicitè vouemus quàm cupidè præstolamur.*

Illustrissimæ ac Reuerendissimæ Celsitudini Tuæ deditissm.

Collegium Crac. Soc. IESV.

PVBLICVS PATRIÆ
PLAVSVS.
De importato in Poloniam
CAPITE B. STANISLAI.
ODE I.

TE KOSTKA nati Delicias DEI,
Regale pignus: Te IAGELONIDÆ
Munus VLADISLAI canemus
Ad Citharam veniente Famâ,
Expergefactis carmine MANIBVS
Vmbrâque MVTÎ; qui Patriæ solum
Telluris, & deserta pridem
Restituit tibi rursus arua,
Non indecoro quæ pede nobilis
Tui & Tuorum Transfuga liqueras,
IESVQ; Loiolæque grandem
Militiam subiture Tiro.
Accumbe toto Lechica poplite
Accumbe tellus, Hesperio redux
Migrat STANISLAVS Trione
Ille sui Vetus exul orbis!
Salue reposti Gemma Sacrarij
Petita longo Gentibus ambitu,

Heu qualis, & quantus Parenti
Nate redis! Videoné caram
Errare ſparſis cæſariem comis?
Languensque crebros inter anhelitus
Fumare pectus, innocenter
Igne rudes populante fibras?
Pugnax ab ipſâ ducit opes Amor
Viresque lymphâ! nil Sociæ manûs
Fomenta, nil, humente lino
Proficis Hippocratæa turba.
Hæc vnde ſacri Lux diadematis
Frontem ſereno circumijt globo?
Hic vnde conceſſis, Lechei
Flagrat apex radijs Iuli?
Hæc illa vultûs purpura! Viuidi
Hic flos pudoris! mentis & hæ faces!
Hæc illa Maiorum ſubacta
Legibus arbitrioque Ceruix!
Sic Te Quirini Municipem Remi
Polone ſanguis, Patricium caput
Mitti SIGISMVNDVS popoſcit
Thrace Dacos ineunte fines.
Cùm præferoci turgidus indole
Oſma-

Oſmanus, iræ, mentis & impotens,
Tentorijs latè retectis
Moldauiæ tremefecit agros
Nepos auitæ funera Thraciæ
Vlturus. Ibas tu quoque Lechici
Contra Gelonorum phalangas
Nominis auxiliare robur,
Comes viarum ſeptus Achatio
Achate. Rhedæ ſed neque te mora,
Vertex nec Alpinus vetabat
Quin Patriæ veherêre cœlo.

Simul ac Beati Caput finibus regni importaretur, Turca pacto fædere, inglorius demigrabat. Idem Beatus in acie cõſpicitur cum Puero IESV & Deiparâ Orientem verſùs rhedâ inuectꝰ.

ODE II.

PEccatné mendax palpebra? quò ruit
Plauſtrum Boötæ? Pacis an Arbitrũ
Datur STANISLAVM tueri
Præpetibus per inane bigis

Vectum corusco nubis in essedo?
Vides, vt implet Sidereâ Puer
Cum Matre currum? lambit Æthræ
Flamma rotas, fremit axis auro,
Micant iugales auribus, vngulâ
Quassante Stellas! cedere semitâ
Gauisus Orion; minores
Erubuit Phaëthon quadrigas.
Vix manè crinem roscida lauerat
Aurora, cùm iam (supplice Sarmatâ)
Prærupta collucent Chocimi,
Sacra, Die moderante, lora.
Præsens Polonæ præsidium rei
Sensêre Nostri. barbara palluit
Phæbe, nec Osmano furendi
Mens eadem. placuit cruore
Pax empta. fædus fædere truditur,
Alterna cessant iurgia. mutuis
Et Thraces ignoscunt duellis
Et Lechidæ, spolijsque certant.
Nam quid Tyranni iussa? quid efferi
Votum Karacæ? quid Mareotica
Pubes, & innutrita bello
Vis Asiæ? quid Eöa regna

Contra Vetantis prælia mussitent
Edicta Diuæ? Scimus vt arbitrâ
Belliq;ue diuisumq;ue Pacis
Imperium tenuisse gaudet
Cum Matre Numen. Discite Bistones
DEO Secundam discite Principem.
Quæ, capta Bizanti spopondit
Mænia Bosphoriosq;ue portus.
At KOSTCIANI regia Verticis
Pulsata quondam grandine, grandinet
Pensata gemmis: proq;ue nimbo,
Irrigui pluat imber auri.
Hoc te Coronæ sidere munerat
(Ventis & imbri suppositum Caput)
Squalor galeri. delicato
Deme, rudes humero lacernas.
Vibrantis hoc te syrmate pallii
Longinqua stipant vellera, Persico
Intexta filo; quamq;ue byssum
Ars Phrygijs variauit vmbris,
Ductoq;ue solers in tenues modos
Discreuit auro fucus Ethruriæ;
Vel quæ paludatos Lacæna
Finxit acus meditata cinctus.

ZBOROVIANO Singula Muneri
Debere gaudes. quòd ſolido, propè
Rides in argento, iocanti
Oſcula congeminans IESV.
Prædantis æui præterit inuidos
Tutò latrones dextera, quam ſui
Mens larga, circumſtans fideli
Excubitu, latus omne munit.
Regnum Trophæis, Munificentiâ
Implere faſtos, hæc Iagelonij
Laus prima, VLADISLAE, ſceptri;
Proxima, Pacificare mundum.